Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Ad patriam celi suspirans mente fideli.
Omnia postponat que mundus munera donat.
Mundum damnat. mundum sua. seque relinquit.
Se mundo. mundumque sibi pariter crucifigat.
Se domino. dominumque sibi. sumpta cruce iungat.
Nulla re tractus penitus nullaque coactus.
Ad levum deflectat iter. dextrumve sequatur.
Sed medium iustis iter semper gradiatur.
Ne per multa vagans dominum non promereatur.
Rebus in adversis constans. humilisque secundis.
Nullo prava modo. faciat bona transgrediendo.
Nullo recta modo postponat prava sequendo.
Que domino placeant. ea cogitet et meditetur.
Et pro posse suo constanter agens operetur.
Impulsu nullo faciens contraria Christo.
Ad se deficiat. quo gratior hostia fiat.
Suave deo munus. cum Christo spiritus unus.
Ipsi coniunctus dono carismatis unctus.
Sic circumspectus homo. non per plurima sectus.
Omne quod effatur. quod agit. vel quod meditatur.
Ut bene sit placitum domino concurrit in unum
Per calle rectum. vir iustus tendit ad unum
A dominoque bonum petit hoc quod sufficit unum.
Hic igitur talis summe cultor deitatis.
Nomine veracis censetur simplicitatis.
Fratribus optatis bona pando simplicitatis.
Per quam mandatis species claret deitatis
Simplicibus non duplicibus requies tribuetur.
Nam dominus cum simplicibus fari perhibetur.
Simplicitas recta devitat devia secta
Pluribus abiecta salvandis est via recta.
Non querens rimam sedem sibi collocat imam
Dando se tota primam. regionem reddet opimam.
Incautos munit discordes ipsa counit.
Et nos socians unit. contra temptamina munit.
Et levat ex undis mundi nos ipsa profundis.
Spiritibus mundis mundi quoque iungit immundis
Fallere non novit periculum a se vana removit.
Lites submovit quia pacis gaudia novit.
Lampas celesta nunc est. fulgere parata.
Quando dies grata. pax fiet multiplicata.
Ergo deo grati per aquam flamamque renati.
Et spe salvati. studeamus simplicitati.
Angelicisque choris studio sociemur amoris.
Omnibus absque moris semen mittendo laboris.
Ut lucte fidei succedat pax requiei
Virtuti quoque spei. clarescat lux speciei.
Gressibus humanis pateat via simplicitatis
Ut rebus vanis de mentis amore fugatis
Gaudia mansura querat numquam peritura
Optent ventura bona. sed caveant nocitura.
¶ Equore transmisso mundi. veloque remisso.

Scandenti portum qui solis tendit ad ortum.
Sepe retractanda duo restant et meditanda.
Unum vitetur. aliud constanter ametur
Explent utrumque. mors. vita. malumque bonumque.
Gaudia sanctorum cum tormentis reproborum
¶ Est sine mensura. merces speranda futura.
Corporis et mentis requies sine fine beata.
Suavis odor. dulcisque decor. concordia grata.
Angelicis cum spiritibus semper sociari.
Et velut est cernendo deum sibi consimilari.
Omne bonum. nullumque malum. viget sine fine.
Nec sathane. mortisve metus. casusve ruine.
Absorptis in leticia. sensus erit ultra.
His dictis de sorte pia. de sorte sinistra.
Pauca retexamus. que dante deo caveamus.
Ordo confusus. stupor et metus undique fusus.
Terror et horrores. tenebre simul exteriores.
Dentes stridentes. sine consolamine flentes
Turbo procellarum. cum sulphure fetor aquarum
Ignis mansurus. vivis numquam moriturus.
Et sitis atque fames ductus de crimine trames
Omnis enim pravas malus hic generat sibi penas.
Dum sceleris nimias numquam retinebit habenas.
Auget tormentum tortore forte cruentum.
Defectus sine defectu. finis sine fine.
Omne malum. nullumque bonum. fera mors sine morte.
Hec immundorum sunt pocula demoniorum.
Ista propinantur. hiis qui sathane sociantur.
Unde pavescentes. et mente pia recolentes.
Gaudia sanctorum que sint. que pena malorum.
Annisu toto penitus torpore remoto.
Per modicas penas sedes adeamus amenas.
Paucis tristemur ut plene letificemur.
Per luctum gemitumque brevem post maceremur
Cum sathane partique sue reprobe sociemur.
Et sevis cruciamentis iugiter cruciemur.
¶ Pondere peccati nimio quecumque gravati
Fasciculo vere scelerum nos exonerate.
Christum querentes. et ad ipsum confugientes.
Ut iam depositis viciis velut azyma sitis.
Esurie passi. fragili de corpore lassi.
Vos pane celi contingite mente fideli.
Semper viventem. vitam mundo tribuentem.
Que si gustastis erit ut semper vigeatis
Hac in valle sitis positi quicumque sititis.
Ad fontem vite Christum properando venite
Ut potum gratis viventem percipiatis.
Que si gustatis erit ut numquam sitiatis.
Frigore constricti vestitum sumite Christi
Quem si gestatis erit ut semper caleatis
Frigore constricti. vario discrimine victi.
Penis afflictus sit nobis Christus amictus.
Sit cibus et potus. sit victus denique totus
Christus adest media. tremebunde mortis in hora.
Iustos nec somni. nec tempore deserit omni.
Naufragiis hunc portum pauperque salutis asilum.
Fessis habet stabulum. certans in agone triumphum.
Verus salus mundi. non vult mortem pereundi.
Ut convertamur magis optat ne moriamur. optat.
Delens peccata Christus. via. vita beata.
Indulget flenti. sua crimina. seque timenti.
Premia innocenti dat. gaudia penitenti.